

Ad v. 10.

Reges ipsos irridebit) Hebr. יתקלם, *illudet & irridebit.*
 Legitur vox 2. Reg. II, 23 de irrisione Elisæi prophetæ:
Ipsa adscendente per viam pueri parvi egressi sunt ex urbe,
 ויתקלמו בו & *irriserunt eum, atq; dixerunt ei, adscende calve,*
adscende calve. Vox ergo significat, verbis & gesti-
 bus ignominiosis aliquem proscindere & ludibrio ex-
 ponere. Prædixit propheta, quod brevi post factum
 est. Irrisit gens Chaldæorum reges Judæorum, quos
 captivos abduxerunt, conf. Proleg. §. 21. Mos erat vi-
 ctorum, captivos reges in triumpho traducere & irri-
 dere, exprobrando illis stultitiam, quod nequaquam
 pro ætate & belli ducis prudentia rem gesserint. Re-
 ferente Plutarcho Romani senem, prætexta bullaq; ,
 pueritiæ insignibus, ornatum, per forum in Capitolium
 traduxerunt, præeunte præcone, qui Sardos venales
 pronunciaret. Conf. Lyd. Synt. de re militari. Lib. VI,
 cap. III, p. m. 220. Nebucadnezarem multos reges vi-
 cisse, & captivos abduxisse, ex ejus historia constat,
 conf. Jerem. XXV, 15. seqq.

Et principes erunt risus ipsi) Gens illa principes
 quoq; & duces bellicos irridebit. Irrisit Nebucadnezar
 principes & duces bellicos, quos vicit. Perfidi Zedekiaë
 regis ministros trucidavit Nebucadnezar Conf. Proleg.
 §. 23.

Urbes munitas irridebit) i. e. illa gens non formida-
 bit urbes munitas, sed eas illudet. Sic Rabsake irrisit
 Hierosolymam, Es. XXXVI.

Coacervabit aggerem) Hebr. *coacervabit pulverem, i. e.*
terram; צבר est *coacervare in cumulum*, quo sensu legitur
 Exod. VIII, 15. & *coacervarunt eas (ranas) in acervos.* In
 nostro loco denotat coacervationem pulveris in agge-
 rem

H

rem